



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Philippo rege Francorum, cui nigrum monachum obstricta calceamenta  
reprehendit, cap. 12

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**N**OBILIS quidam monasterium quoddam in Frā-  
cia spoliauit; erat autem de ordine nigrorum.  
Placuit Abbati & fratribus, vt vnus ex monachis ad  
Regem Philippum, qui tunc regnabat, mitteretur, per  
quem ei violentia militis exponeretur. Missus est iu-  
uenis sanguine nobilis, tanquam qui apud Regem  
propter cognatos aliquid amplius posset impetrare  
quam cæteri. Veniens ad Regem ait; Domine, vir ille  
nobilis multum indebitè monasterium nostrū dam-  
nis & iniurijs vexat, sæpe fratres ac familiam nostrā  
minis ac contumelijs molestat; rogat maiestatem ve-  
stram humilis conuentus noster, quatenus, intuitu  
diuinæ remunerationis, eundē nobilem ab iniurijs  
tantis compefcatis, & ad satisfactionem condignam  
de ablatiis compellatis. Considerās rex gestus vel ha-  
bitum monachi, ait: Domine, quis vel vnde estis? Cui  
cū iuuenis diceret: Domine filius sum illius, pa-  
trem suum nominans: respondit Rex; Bene nobilis es-  
tis. Cūque Rex post hæc nescio quid diceret, mo-  
nachus subiunxit; Verè domine, omnia quæ habe-  
mus rapit, & iam penè nihil nobis dimisit. Ad quod  
respondit Rex: Verè domine, hoc bene apparet in  
calceis vestris; si aliquid dimisisset vobis corii, non  
essent tam stricti: quanto estis cæteris nobilior, tanto  
esse debetis humilior. Tunc volens post correptionē  
illum placare, adiecit; Non vos grauare debet corre-  
ctio mea, quia ad bonum vestrum factum est. Reuer-  
timini ad claustrum vestrum, & de cætero non mole-  
stabit vos nobilis.

## CAPVT XIII.

**P**HILIPPVS rex Romanorum simile verbum, ne-  
scio si habuerit à iam dicto rege Francorum, in  
quēdam Abbatem ordinis nostri iaculauit. Ad  
quem cū Abbas in equo accessisset, de necessitate  
domus suæ cum illo locuturus, Rex eius calceamen-  
ta, quæ nimis erant stricta, considerauit: quæ cū  
interrogasset; Vnde esset? Respondit ille; Domine de  
paupere domo; & Rex; Bene apparet in calceis vestris,  
M quod

*Religiosi  
sunt hu-  
miles in  
habitu  
& exter-  
nis gesti-  
bus.*